

EPITAPHIUM

CAROLI

VI. ex Libr. Epigram.  
J. J. de R. J. & M. D.



Sta  
Viator!  
Inspice  
Tumulum,  
lege  
Epilogum:  
sub

Hoc marmore  
requiescit

Serenissimæ, & Gloriosissimæ  
Domûs Austriacæ  
Stirpis masculinæ Habsburgicæ  
Ultimus

CAROLUS

VI.

Augustissimus, & Invictissimus  
Romanorum Imperator,  
Germaniæ, Hispaniæ, Hungariæ, &  
Bohemiæ Rex potentissimus &c.

nec

nec mirare  
post cognominem  
V.

Dominatûs Austriaci  
limites nullum extendisse latiûs.

Huic  
intra jactum teli Athesis, &  
Padus, Boetis, & Iberus, Rhenus, ac  
Danubius, ipseque Oceanus constiterat.  
Sedit in forti arcus ejus.

Genes. 49. v. 24.

Solem enim nactus erat lucinum in  
sagittario Anno Domini MDCLXXXVI.

Cujus  
manus docuerat DEUS ad prælium, &  
posuerat ut arcum æreum brachium ejus.

Psalms. 17. v. 35.

Fortitudinem, & constantiam ejus  
Inter elementorum conspirantium pugnas,  
Inter hostium Barcellonæ mœnia  
igne ac ferro gravissimè quatientium furias  
semper invictam:

Per effractos Barcellonæ, Gibraltaris, ur-  
biumque plurimarum muros,  
per dejectos non uno prælio Gallo-His-  
panorum cuneos:

Tur-

Turcarum multivarias clades  
Victricem multoties  
fama vulgaverat.

Occiduô

Illachrymanti Germaniæ  
felicitatis suæ sole Josepho  
erat Hic unicè superstes

Austriaci sanguinis

Phœbus :

à mari Hesperio reversus

Resumpsit Orientem, cui cessus Occidens  
obtigerat.

Veruntamen, qui ex calidissimo Hispaniæ  
climare amore boni publici totus  
æstuans sol advenerat in Germaniam,  
orbemque nubibus belli circumfusum  
invenerat, opportunè è nubibus eluctatus  
protulit armorum & Majestatis suæ  
splendorem, & exultantibus inter ad-  
versa (quæ Germaniæ involverant Hori-  
zontem) tandem Rastadii erexit arcum  
Pacis.

In eoque collocavit servatam Augusti  
Diadematis, ac Germanici nominis gloriam,  
ut arcu illius intento, & latentibus  
etiam in pharetrâ sagittis Barbaræ sibi nationes  
pertimescerent.

Ele-

Electus Francofurti ad Mœnum  
sole in librâ existente  
Anno Domini MDCCXI.

Imperavit  
qua  
Pater Patriæ  
amantissimus,  
qui  
aut nunquam nasci debuisset, aut  
nunquam mori.

Ast  
dum mors etiam  
Regibus imperat,  
eidem  
Diem dixit,  
Anno quô  
Viennæ in Austriâ naturali,  
beatâque morte in Domino piè  
& sanctè obdormivit  
MDCCXL.

Reliquitque nobis semèn  
In Serenissimâ & Potentissimâ suâ filiâ  
Mariâ Theresiâ,  
nata Anno 1717. sole Majestatem suam  
exhibente in signo tauri,  
ut nimirum  
denuò labanti succollaret  
Europæ.

Faxit

Faxit Deus,  
ut in millia crescat

&

In signo Crucis Hierosolymitanæ &  
Ungariæ coadunatæ Vincat.

Memoriale  
ad tumulum

ejus,

Parca volens Carolo vitæ præscindere  
filium,

Hos Capiti assistens edidit ore sonos.  
Corpore te solvam, tua sed monumenta ma-  
nebunt:

Namque horum potui juris habere nihil.  
Forteque certamen dum dat sapientia natæ,  
Hæc hostes etiam vincere in orbe dabit.

II.

Hic caput in terras humile incurvate potentes,  
Imperium in Reges mors quia sæva tenet.  
Pan calamos frangat, frangat Germanus  
Apollo

Plecten & absistat sollicitare chelyn:  
Non parcat lacrymis suspiria longa ciendo,  
Austriaci lugens Teutona turba chori,  
Mortuus est Carolus! mors ultima linea  
rerum:

Sextus & Augustus nomen ad astra tulit.

Quin-



Quinque Deo reddens totidem centena re-  
cepit ;

*Vivus* enim fuerat , jam modo *Divus* erit.  
Nempe tot est gradibus melior fors illa su-  
perna,

Quot distant numeris verba notata suis.  
In patriam rediit , nos in tristi orbe reliquit :  
Hunc tenet aula nitens , nos lacrymosa dies.  
Regnavit vivus , regnat super æthera divus :  
Intravit Domini gaudia vera sui.  
Hinc equidem faveo Carolo cœlestia regna,  
At mihi condoleo , qui sine Patre gemo.

